SANCTI IVONIS
Pauperum Aduocati
LAVDATIO,
HABITA IN EIVSDEM TEMPLO
AD S. R. E. CARDINALES.

A' BENEDICTO TEVENETTO ROMANO
Sem. Rom. Clerico.



ROMÆ,
Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. 1625.

Superiorum Permissu.

ILLVSTRISS. PRINCIPI

IOANNI GARZIAE

CARD. MILLINO.

BENEDICTVS TEVENETTVS F.

METVENS non immeritò lucem, quæ ſordes vbiq. diſtinguit & maculas, noſtra hæc iam pridem latebras adamabat Oratio, nec habebat vnde tantum aſſumere ſibi poſſet audaciæ, vt in publicum illæſa theatrum aſcenderet, & pennas ad volatum explicaret. Quare domi latere ſecura maluit, quam pauida prodire ſub ſolem. Verùm iſta (Princeps Illuſtriſsime) in qua refulges humanitatiſne dicam, an purpuræ lux omnino metum ade-

mit, & priuatis natam in tenebris, in ijſdem libentius morituram inuitauit ad ſeſe. Ad te igitur venerabunda nunc aduolat, & quicquid de IVONIS ſanctimonia annuo more, atque ex veterum inſtituto recenſet, fieri tandem cupit MILLINA magis in luce conſpicuum. Vale.

LAVDATIO.

LVCEM illam N. N. quæ triumphantem in igne Deum, diuinumq. Spiritũ è Cælo pluuium in igneis linguis ad mortalium corda locuturum excepit, hodierna ſubſecuta lux eſt, qua igneum planè virum Iuonem, ſingulare integritatis exemplum, idem ille Spiritus in Cælum quodammodo redux, ſecum ab humanis auexit ad ſuperos. Illa quidem repentino nubium fragore aduenientem mortalibus hoſpitem opportunè deſignauit; altera vero ſecunda terrarum admurmuratione, hominem Deo plenum, ſoluta mortalitate inter immortales aſcribit: deſcendit ea in luce clariſſimus ad pauperes Deus, pauperum amor; in hac quæ conſequitur proximè ea ſecum claritate ſuſcepta ad diuitias Beatorum euocatur pauperum pater: tum demum ex pauperum choro in vniuerſa terra

conſtituti ſunt principes, quorum ad tribunal rea cum captiuo Iſraele prouolueretur humana mortalitas; hodie regijs inſignibus, æternoque diademate coronatur, qui gratioſum anteà tribunal miſeris aperuerat integerrimus Iudex, idemq. defenſor acerrimus paupertatis. Ex quo Iuonis luctuoſone dicam à mortalibus exceſſu, an glorioſo ad immortales acceſſu iudicandum nobis, enodandumq. relinquitur in hodierna panegyri, num in hoc vno voluerit triumphali quaſi vectus in rheda diuinus ille Spiritus, cordium expugnator egregius, ipſo ſui certaminis initio victor ad Capitolium remeare Diuinitatis. Fiet opinor dubitationi ſatis, ſi fideli rerum ab Iuone geſtarum narratione præeunte, vnuſquiſque veſtrum in illo, tamquam in curru cæleſtem agnoſcat Spiritum feliciter aurigantem.

Trahit primum ad ſeſe dicentis animum index futuri luminis,& iam pridem concepti Numinis adoleſcentia, quæ in Iuone immatura quidem annis, & flore fuit, ſed animum ſi ſpectes, virtutemque matura: tum prima conſecuturæ lucis emicuere crepuſcula, atque in ætatis veſtibulo effulgentem Auroram non dubia vitiorum nubes, neque lethalis vmbræ labes, at ſerenus vndequaque virtutum candor excepit. An non ſeni-

ſenilem in eo demiraberis adoleſcentiam, cui cordata iam pridem fuerit in vtero matris infantia? qui cum maternis in viſceribus deliteſceret infans genitrici per quietem viſus eſt vti Gigas, virtutis quidem mole, non corporis, vnde plurimum emolumẽti ſperare ſibi poſtmodum iure poſſet humanum genus? Inter dubios iuuentutis anfractus in incertum liberioris vitæ tramitem non deflexit; inter voluptatum illecebras Deo permanſit integer in amoribus; Inter fluxa miſeræ carnis blandimenta, nihil eſt ſibi iuuenum more blanditus; inter ſerenioris ætatis tenebras ſol ille virtutis, ac ſanctimoniæ affulſit innubilus. Nimirum id temporis Iuo ſublata velut in Cælum prima proſcenij facie perſonam, & imaginem induit pœnitentis, vt ſordidatis puluere crinibus, & madidis diuturno fletu luminibus, quà flagris vexato corpore, quà ſubducto languentibus membris pabulo, quà laboribus exantlatis, quà productis in multam noctem vigilijs primum Deo ſpectaculum exhiberet ſanctimoniæ ſuæ. Sic Athleta fortiſſimus nouum aduerſus ſe militiæ genus priuatis exercebat in caſtris, vt à ſemetipſo victus Deo victore potiretur: Quippe explicata certaminis area illi nuda tellus erat, vbi diurnis defatigata

labo-

laboribus mẽbra procul à molliori ſtragulo reponebat; ſuppoſitum capiti ſaxum pro ceruicali galeam planè dicerem ad reprimendum ſoporem, ſomniq. gemellum torporem inductã, niſi quòd ad lacrymas, & vota dormientis molleſcere in illo potuit natiua durities. Verùm quã adimebat corpori quietem durus ille lapis, ſacrarum litterarum volumen ad genas euolutum conniuentibus quidem extrinſecus oculis, corde tamen intrinſecus vigilanti reddebat; in eo ſcilicet pubeſcente ſemper, numquam areſcente diuini Verbi floſculo noſtra hæc Apis, ipſum etiam laborare ſub ſomnum, arcanumq. ſibi mel conficere conſueuerat pietatis. Vigilauit in ſomno ſuprà Domini pectus carus ille præ cæteris Chriſto diſcipulus, & diuinum non tam corpore, quam corde procumbens in cor, clauſis quidem in fronte luminibus, ſed pectoris in luce clariſſima animo diligentius percurrente Diuinitatis intimæ ſacramenta perdidicit, idem non in vita ſemel, at ſæpe per noctes recurrebat Iuoni ſopor, & ſubiectum capiti nouum quaſi ceruical Dei Verbum, expreſſum reliquit dormientis in corde cor Cæli; & pernegare quis poterit ab ipſis vitæ primordijs in triumphalem Spiritus diuini curulem fuiſſe deſtinatum Iuonem?

nem?

nem? At qui iam diu priuatis in laribus militem egerat, seseque hostem nactus, spectante cælo acerrimum bellum cupiditatibus frangendis indixerat, in publicum prodijt aliquando theatrum, & quam Deo satis superq. probarat, cum deinde Iudicis ascendisset tribunal, virtutem hominibus suam publicus actor probauit in scena. Forum illi contentionibus obstrepens, & popularibusne dicam litigijs, an iocularibus nugis persæpe refertum natiuam animo quietem non ademit, cum æquissimus iudex inter causidicos, & clientes a Diuino iudicio cor non auerteret vnquam; amabilis auri color pauperum in illo minimè decolorauit amorem, quandoquidem ne diuitum ij manus paterentur, & minas, de suis facultatibus non tam veritatis arbiter, quam paupertatis pater miseris erogabat; vno verbo Iuone iudicante ipsam diceres terris rediuiuam cæloque delapsam iudicium excercere Iustitiam. An poterat amabilius præbere nobis spectaculum vir sanctissimus, quam æquato Iustitiæ libramento, neque diuitibus gratificari, vbi pauperum vitari iactura non posset, neque pauperes iure inter iudicandum reiectos alijs facultatibus, & solari pariter, & locupletare quã suis; sic ab Iuonis iudicio paupertas semper opu-

lenta redijt, nunquam inops. Accedite propius Auditores, remotoque ſipario non tam in foro Iudicem contemplamini, quam nouum inter Iudices Deum. Diuinum porrò videbitis hominem per ſeptem integros dies ab humanis abſtinentem cibarijs, & non dum ſoluto mortalitatis ergaſtulo extrà vincula corporis quodammodo beatè degentem, cum Diuinitatis iucunda contemplatio, quæ Diuorum animos de pleno voluptatis torrente ſaginat, mortalem hominē participem redderet immortalitatis, & patrio collocaret in cælo non dum a terra diuiſum: Videbitis cum humanæ ſalutis aſſertore Chriſto ad ſolandam inopum famem ſæpius exiguos numero panes iuaudito quidem portento diuinitus cumulãtem; cum tribus Babilonico damnatis incendio pueris æſtuantes flammarum globos recedere precibus, veluti nutibus imperantem; Fluminis demum aquas, vt illac iter ſibi tutum aperiret cum Moſe diuidentem non virga, ſed Cruce. Quin & Apoſtolorum Senatum æmulatus eſt Iuo, quibuſcum & cæleſti pariter conflagrauit incendio, Numenque promeritus eſt pacis audire nuncium, & videre conuiuam. Menſæ nimirum, vt corpori conſuleret aſſidebat olim de more, cum adueniens ex improuisò

men-

mendicus facie ſquallidus, macie conſumptus, fætore grauis, pedore liuidus, pallore luridus, illuuie ſordidus, adactis introrſus oculis, pendentibus genis, crinibus in incertum effuſis, ſubſidentibus vtrimque temporibus, pannoſus, attritus, ſordidatus, ac penè putris, petit in diuitis menſam admitti; admittitur; aſſidet; vnà comedit, donec explicato velamine, & pauperculi homuncionis ſpecie ſubducta, lumineque quod cælarat exhibito, hoſpiti pace in diſceſſu relicta, ſcriptum aureis characteribus, & ſtylo Diuinitatis exaratum oſtendit in femore Regem Regum. Aſt olim audito (Pax vobis) labentem è cælo Spiritum non longo poſtmodum interuallo acceperunt Apoſtoli: cum eodem illicò pacis ſigno eumdem ſuſcepit, vt arbitror, Spiritum Iuo, quo ductore relicta regione mortalium perductus eſt aliquando tandem ad Regiam Beatorum. Reliquum eſt vt quam ille audiuit à locupletiſſimo paupere pacis vocem, noſtris hiſce temporibus, quę bellum fouent, geminato veluti murmure liberalis pauperum pater, prodigus bonorum elargitor, prouidus pacis conſultor, & arbiter voce ſimul, & manu profundat in terras.

LAVS DEO.